



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

4. Effectus infamiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Secundo, notitiam debere esse certam, si non metaphysicè, sane moraliter, secus te injustè gereres, si quæpiam, ut infamem repellas, solum ex levi suspicione inter homines leves exorta.

6. Si tamen opinio de tuo peccato sit vulgata apud viros probos, & prudentes, quamvis non adit certitudo, multo magis, si orta sit hæc opinio non ex vanis, sed ex probabilibus conjecturis, eris ab Ordinibus, ac Beneficiis Ecclesiasticis, repellendus, interim, dum non purgas, juxta C. Quoties, & C. Inter: de Purgat. canonica. Neque enim deest in Clericum coaptari eum cujus opinio gravata est. Ita Castropal. de conf. d. 6 p. 20. n. 7. quod late etiam habes apud Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 28.

7. Ex hac doctrina resolvitur nudius tertius, Clericum accusatum apud Episcopum sui Domicilii de commercio cum femina, & ab eodem citatum ad comparandum nequaquam ordinari potuisse ab Episcopo sui Beneficii, ut Clericus intendebat. Ratio resolutionis fuit prædicta doctrina, quia non præsumitur Episcopus ille voluisse Clericum citare ad comparandum, nisi motus ex probabilibus rationibus, seu conjecturis. Fatebar interim meram accusationem non satis esse ad hominem reddendum infamem, quia accusatio non raro fit ab inimicis, & non raro item sine sufficientibus probationibus, sed in casu nostro aderat citatio Episcopi, qui, ut dicebam, non præsumitur Clericum voluisse citare sine aliqua tandem probabilitate delicti. Addidi, saltem ante ordinationem oportere, eum se pargare, juxta prædicta, ab opinione, quæ jam erat inter prudentes de commisso crimine. Nam propterea communiter teste Nald. V. Accusare, num. 4. Barb. de pot. Et. al. 43. Garcia de Benef. p. 7. c. 7. n. 6. Favet, Gibal. de Irreg. c. 5. d. 4. n. 27. docetur, accusatum, pendente accusatione, admitti ad Ordines non posse.

§. IV. Effectus Infamiae.

1. Infamia, sive Juris, sive facti in Jure Canonico (nam de Civili nos non agimus) hos duos effectus progitur. Primò, ut infamis ordinari nequeat: id, quod sæpe diximus in Superioribus. Secundo, ut illi Dignitates non conferantur juxta Regulam illam Juris Infamis portæ non pateant dignitatum. Nomine autem dignitatis hic non intelliguntur solum Personatus, sed quæcunque Ecclesiastica Beneficia, & Officia publica, puta Judicis, Assessoris, Advocati, &c.

2. An verò, sicuti si conferantur Ordines Infami, valet collatio, ita valeat collatio Beneficii, vel Dignitatis, licet in utraque collatione certo peccetur, bipartita est Doctorum Opinio. Molin. tr. 4. d. 11. n. 3. alique apud Castropal. mox citandum cum communi ait, esse invalidam Castropal. de conf. d. 6. q. 20. n. 11. cum Garz. puta, in foro externo invalidam quidem esse, sed esse probabile, in foro conscientie esse validam, ac propterea ejusmodi provisum posse dignitate, seu officio frui, donec à Iudice collatio rescindatur. Ratio hujus probabilitatis est, quia nullus asseri potest Textus collationem hanc invalidans, nam quando dicitur (Infamis portæ non pateant dignitatum) satis commodus sensus esse potest, quod non pateant licite, annullatio autem actus, cum sit odiosa sine claro Textu inducenda non est. Adde, tanquam Regulam peculiarem haberi in Tractatu de Irregularitate, quando Textus potest explicari, ut significet aliquid aliud, non esse intelligendum, ut indicativum Irregularitatis.

3. Hæc de Infamia contracta ante susceptas Dignitates. Sed quid, si superveniat.

Respondet, si superveniat Infamia facti, certum est, eam non privare ipso jure possidentem suas Dignitates, vel Officia, ut est communior opinio, quia in nullo Textu habetur ejusmodi privatio. Si vero superveniat infamia Juris, licet statim illorum privationem indicet; tamen hujusmodi infamis abdicare à se illa officia nequaquam

obligatur, modo quo docet cum multis Castropal. & nos diximus §. 2. n. 5.

§. V. Quis dispense in Irregularitate contracta ex Infamia.

1. Si à te incurta fuit infamia Juris, ex eo nimirum, quod subivisti sententiam, quæ condemnavit ad infamiam, vel, quæ declaravit, te commississe delictum trahens infamiam juxta paulo ante dicta, opus est tibi, etiam emendato, dispensatione Summi Pontificis ad Ordines suscipiendos, vel Ordines susceptos exercendos. Nam, si non præcessit ejusmodi sententia, te posse gerere, ut non Irregularem, atque adeo te non indigere dispensatione, si res sit occulta, diximus §. 2. num. 5.

2. Si tamen crimina infamiam hanc trahentia sunt adulterio minora, Irregularitatem ex ea contractam posse post peractam poenitentiam dispensari ab Episcopo docet Castropal. de Irreg. cum Sane. Henric. Avil. Mol. & aliis, addens, quando infamia inducta est à jure Civili, eam posse aboleri à Principe seculari qua abolita, cessabit Irregularitas, quæ in ea infamia innitebatur.

3. Si autem infamia facti laboras, illam tu ipse restitue. Suar. Henr. Mol. cum Castropal. cit. tolles per emendationem delicti, utique notoriam, & quæ saltem per triennium duraverit. Gibal. de Irreg. cap. 6. qu. 1. num. 5. non præscribit tempus, sed solum petit emendationem cognitam.

4. Hinc ergo, qui non fuit condemnatus per sententiam inponentem, vel declarantem infamiam (tunc enim non sufficit emendatio, sed requiritur dispensatio, ut dictum est) licet notorius fuerit Sodomitæ, Concubinariis, Vitiariis, &c. Si, modo dicto, emendatus est, poterit promoveri. Lege Gibalinum loc. cit.

An hæc Irregularitas ex infamia tollatur per Baptismum, quando hic suscipitur post ipsam contractam, dicemus infra c. 22. §. 1. n. 2. infra videatur Sanch. d. 48. de Confess. 2. n. 11.

CAPVT XI.

De Irregularitate ex Novitate Fidei.

§. I. Quisnam eam contrahat?

1. Novi in Fide, quos Græca voce Neophytos appellamus, in C. Sicut. d. 48. sunt, qui cum Iudeorum, Saracenorum, vel Ethnicorum Religionem proficiunt, de novo ad veram Christi Domini Fidem accesserunt.

2. ergo Hos irregulares voluit Ecclesia. C. 1. dist. 48. C. 1. & 2. dist. 55. C. Si aliquando, &c. Si offic. dist. 59. Primò, ne (ut ait S. Paulus 2. ad Tim. 3.) in superbiam elati in judicium incidant Diabolici, eo scilicet, quod sibi plaudere plus iusto possint, putantes Ecclesiam ipsorum Ministerio indigere. Secundo, quia, ad docendum alios, est ineptus ille, qui bene edoctus non est. Tertio, quia bonis moribus debet prius assuescere, qui ad tantam Ordinum puritatem, dignitatemque est promovendus.

2. Porro ex descriptione allata Neophyti tria sunt colligenda. Primò, qui Sacro Baptismi fonte est apte usum rationis ablutus, quamvis filius sit patris infidelis, non est reputandus Neophytus, atque adeo, nec Irregularis. Ita Covarr. in Clem. si furiosus p. 1. §. 2. 7. & 8. Avil. de Censur. p. 7. d. 4. Sayr. de Censur. lib. 6. cap. 11. n. 11. Bonacin. de Censur. d. 7. quæst. 2. pun. 1. num. 5. Ricciullus de Neoph. cap. 1. num. 3. Lez. alios citans consulto 16. numer. 31. quia eam aliam religionem professus non

K x 4 est